



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber De Prvdentia Ivstorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniae Agrippinae, MDCXIV

Cap. X. Suadet suæ passionis imitationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46940)

audiuit, quæ ex infinito pondere bonitatis meæ, præparavi diligentibus me. Propter hæc ergo gaudia mea, milites mei noui, pugnate.

CAP. X.

Suadet suæ passionis imitationem.

NOLITE timere pusillus grex: Ego protector vester sum, & merces vestra magna nimis. Mihi credite; Non est contemnendus decor dulcissime Sion, quam dilexi, plusquam tabernacula Iacob, vt non meritò pro ea pugnare debeatis, & hoc multò nunc animosius: quia vniuersus Israel toto corde sequitur Absalom, quasi è quercu suspensus non esset infeliciter moriturus, & mitem Dauid transgredientem torrentem Cedron, flentem, ac operto capite, nudisque pedibus incedentem nemo est, qui fideliter sequatur. Quàm crudeles sunt Adæ filij, regem suum mansuetissimum, in medijs laboribus, respuentes? Torcular crucis calcaui solus, & de gentibus, quasi fuso sanguine, redemi, non erat vir mecum. Considerabam ad dexteram:

& vi-

& videbam; & non erat, qui cognosce-
ret me. Et vos posteriores serui mei,
quid vultis mecum iudicio contende-
re quasi gens, quæ iustitiam fecerit, &
legem Dei sui non dereliquerit? Om-
nes me dereliquistis: Sed & æternus
Pater meus, propter vos, dereliquit, ac
percussit me. Nunc ergo, quando de-
solatione desolata est omnis terra,
quia nullus est, qui recogitet corde, co-
gitatione, & affectu me patientem co-
mitamini, vt resurgenti sociemini. Ne
horreatis societatem dolorum meo-
rum, si dulcissimæ vitæ consortium ex-
optatis. Mortificate membra vestra,
quæ sunt super terram: equum, qui est
fallax ad salutem, eneruate, vt com-
mortui, & conssepulti mecum, ad di-
em, qui nescit occasum, mecum dilu-
culo exurgatis, & dabo vobis, pro vi-
gilia somnum, inter dilectos meos,
pro bello, pacem, quæ superat omnem
sensem, pro abstinentia, esum li-
gni vitæ, quod est in paradiso
Altissimi Patris mei.